



Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum
tractatione.

Jn Omnes Totivs Anni Dominicas Æstivas, à Festo Pentecostes vsque ad
Aduentum

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1620

Dominica XVI. Post Pentecosten.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56306)

ger, ipsa est vidua illa, quae iucundissimo tuo conspectu viduata est. Hanc igitur consolare, illius lacrymas te permoueat, illius filios exsuscita, qui cum semel ad vitam redierint, magno in te affectu laudum caetica in hoc mundo tibi deproment; expectantes hinc interim, donec in altero te dilaudent, ad quem Pater, & Filius & Spiritus sanctus deducant, Amen.

Aliam concionem vide in Quadrages. 5. post Dom. 4.

DOMINICA XVI. POST
PENTECOSTEN.

Partitio.

- II. De inuidia adumbrata.
- Id. De peccato malitia in Sabbatho.
- III. De Pharisaeis Christi obseruatoribus.
- IV. De aliorum censore ipso inprimis culpabili.
- V. De ingressu Domini in domum.
- VI. De hydropico.

Cum intrasset Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisaeorum sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum.

FIGVRA.

2. Reg. 13.

Abalom Dauidis filius ex Maacha filia regis Gesur progenitus, quo nullus vnquam inter mortales vixit pulchrior & elegantior, sed qui deinde nefcio quo dominandi aastro percitus, aduersus patrem virum mirissimum conspirauit, quo se iniuriam ab Amnone fratre tum sibi, tum sorori imprimis, illatam vlceretur, epulum sollenne instruxit, in quo vitae eius terendit insidias. Hodie vero populus Iudaicus, omnium mundi nationum caput ac rex, nefando quodam affectu in transversum actus, vt se de Iesu Christo fratre suo secundum carnem vindicaret, Pharisaeum quoddam conuiuium adhibet, vt eum insidiosè circumueniat, & vitam illius in discrimen vocent. O proditorem, & perfidiam detestandam! Sed o bonitatem incredibilem! variae illi struuntur insidiae; ipse tamen edit miracula, & hydropicum sa-

nat. De hoc hodierna die locuturus sum, auxilium si spondeat Paraclitus spiritus, & ope intercedendo Deipara. Idcirco salutatione illi offeramus Angelicam, *Aus Maria.*

Ingenio & eruditione praestans Alanus, & aeterno proinde dignus nomine, cum inuidiam mentionem faceret, ita eandem descripsit, *Inuidia quod monstruosus monstrum? aut quod damnosus damnus? quae culpabilior culpa? quae poenator poena? Hac est erronea coacta abyssus, humana mentis abyssus, contentioni stimulus, corruptionis aculeus.* Et bene quidem, nam omnes ad vnum Patres illi suffragantur, qui miris quibusdam coloribus, ipsam depinxere.

S. Cyprianus in primis Afer natione, Episcopus Carthaginensis & Martyr sub Imp. Valeriano circa annum salutis CLX. quodam loco ait: *Inuidia radix & malorum omnium, fons cladum, seminarium delictorum, mater inculparum: mala cetera habent terminum, inuidia autem est malum: ingiter permanens & sine fine peccatum.* Inuidiam autem alio loco describens, asserit hunc bestia ab similem non esse. Hinc, inquit, *uultus mirae & bonus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stupor in dentibus, verba rabida, effrenata conuitia, manus ad caedum violentiam prompta, etiamsi a gladio interim vacua, odio tamen furiosa mente armata.*

Prodeat post hunc magnus Augustinus; *Serm. de Inuidia, inquit, est filia superbia, iussit a matrem verb. dicit. Et non erit filia, &c. Inuidia est odium aliena felicitatis respectu superiorum quia eis non aequatur, Inuidia respectu superiorum ne sibi aequentur, respectu pariorum, quia sibi aequentur.* Imo vero longius alibi in eiusdem descriptione procedens, vitium id diabolicum appellauit, quo solo diabolus reus est & inexpiabiliter & in sempiternum eius: neque enim Lucifer ad inferos derusus est, quod aliena diripiisset, iniustam necem intulisset, alterius thorum violasset, sed quod homini inuidisset.

Alia longe & sane terriora illi elogia; & colores exoticos tribuit Chrysostomus. *Inuidia, inquit, pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in demonem immittissimum conuertit. Per eam mors venit in mundum: eam suadente interfecit Abel; Dauid vita periculum aauit & Christus Iesus in crucem actus.*

Ante:

Ante hos autem omnes Salomon luculentum ei Epithetum dedit, sed quod naturam eius quā optime exprimat, *vita carniū, famitas cordis, putredo ossium inuidia*. Id est, inuidia tam terra & pestilens rabies est, vt hominis cor, cerebrum, ingenium exedat, & penitus ossium medullas emedullet.

Tradunt naturalium rerum scriptores vipers nasci matris cum interitu, & natalem suum funesto matricidio eruentare. Inuidia etiam serpens est; odia, zelus & liuor quaedam viperulae sunt; quae semper animam in qua nascuntur, enecant, & priusquam in aperitum prodeant, eam diuerant, & intima illius viscera discruciant. Vnde Ambrosius *fuge inuidiam, quae non solum alienos, verum multo magis eum, quem possederit, lacerare cōuenit*. & multo disertius Hieronymus Epist. ad Demetrium, *Oro te, inquit, quid inuido delectatione praestat inuidia? quem secretis quibusdam conscientia vngulis liuor ipse discerpit, & alienam felicitatem tormentum facit?*

Atque hanc ob causam Basilius eandem rubigini similem fecit, nam *ut rubigo ferrum, sic inuidia quam inficit animam, consumit*. Vt autem post omnium sententiam, meum quoque symbolum depromam, assero inuidiam tormentum & eculeum animae esse, tantum quippe inuidus & liuidus intrinsecus tormentum experitur, quantam proximus in rebus suis prosperitatem & felicitatem.

Tigridis vt Plutarchus ait, quam primum vt tympani strepitum audiunt, efferae sunt & furorem induunt. At inuido multo reuera truculentiores sunt; atque tigridum more, mox vt praecursorum in alios effusum tympana audiūt, rabire, furere & indignari incipiunt. Quin & Heliippienti illos comparauero, qui domini lucernam videre non poterat, quam diu arderet & colluceret. Lucerna autem ardens iustos in sacris litteris designat; nam de Ioanne Baptista dictum est, *erat lucerna ardens & lucens*: at haec extincta factorem dāns teterrimum, impiorum symbolum est: inuidi vero oculo bono intueri nequeunt iustos, nec eosdem perferre, imo sui similia & improborum contubernio delectantur.

Sunt adhuc non abfimiles Phœnici, ma-

gno quidem labore & cura hinc inde odorata ligna coaceruant, in quibus se deinde comburi sinit, sepulcrum sibi ipsi exstruendo. Inuidi autem redolentē circumquaque opinionem & famam honestam proximi colligentes, ita fremunt & indignantur, vt sibi ipsis noceant, & sempiternum interitum ac damnationem perpetuam sibi arceffant. Quid aga? Non nisi alieno malo viuunt inuidia, non nisi alieno bono eadem moritur.

Milui ad praedam nati semper ad putrescentia volitant cadauera; & loca tetra mephitim exhalantia, ea autē in quibus lenis & iucundus aer est, fugiunt: muscae corporib. integris ac bene valeantibus derelictis, sanguinolenta, vlcerosa, vulnerataque semper petunt. Non aliter etiam liuidi, qui relictis virtutibus vitia sectantur, non aliter inquam vespas illa importuna & immunda, inuidi, qui honesta viuendi ratione relicta immundam & improbam petunt, bonos praeterēūt, vt alterius vitium reprehendant & coarguant. Haec de sancti Basilius sermōis deprompta sunt.

Scarabei, immunda illa & sordida insecta, non nisi in limo & alienis sordibus gaudent & nutriuntur, inuidi alienis vitis & infortuniis audiendis delectantur, atque haec illis gaudium & voluptatem adferunt. Vnde bene Chrysostrōm, *Inuidia aduersa aliorum fortuna, vt scarabai alieno stercore nutriuntur*. Sed finem non reperirēt, si diutius his commemorandis immorarer; atque pro exordii ratione haec sufficiant; Euāgelii siquidem textus plura suggeret, cuius occasione in hanc materiam incidi; quod non nisi mera hic inuidia, perfida appareant machinationes, & insidiosa conuiuia. Historiam recenset Lucas; *Cum intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisaeorum Sabbatho manducare panem; & ipsi obseruabant eum*. De Pharisaeica hac inuidia locuturus huc veni, primo vobis epulum ferale & perfidum praeparaturus, deinde hydropici sanationem propositurus.

Iudei inueneratō in Saluatorem odio exagitati, nouas ei insidias molituri ad conuiuū in domo cuiusdam Pharisaei illum inuitant, idque die sabbathi, die inquam, quo nefas erat ex legis praescripto ignem domi accende-

uidi Phœnici.

Item vulturibus & muscis.

Item Scarabaeo.

In homil.

Propositio.

dere, in deserto manna colligere, lignorum frusta per agros colligere, imo ne ægrotis quidem medicamen aut malagma applicare. In hoc autem conuiuio omnes illius actiones obseruabant, vt deinde eum velut transgressorem legis fugillerent.

II.

Cum intraret Iesus in domum cuiusdã Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem. Quod autem Pharisæus hic Princeps dicatur, sciendum est, non omnes sacerdotes modo, sed singulas sacerdotum familias, omnes etiam synagogas, imo & sectas singulas & artes, semper Principem inter se alique habuisse, qui reliquis & dignitate & honore præcelleret. Vnde & Zachæus dicitur esse princeps publicanorum: quin & Luc. 8. Principes & synagogæ legimus, & apud Ioannem legimus alium appellatum Principem Iudæorum & hic noster Princeps Pharisæorum dicitur.

Luc. 8.

Deinde notandum est, Euangelistam studio & data opera Principis huius Pharisæici, qui Christum inuitauerat, nomẽ silentio premississe, cum tamẽ alio loco alterius Pharisæi qui Christum etiam inuitauerat, & quod peccatricem ad pedum osculum admitteret, murmurabat, nominare nõ graueretur quẽ Simonem ait appellatũ. Atq; hæc est ratio vt hinc manifestum fieret, quanto Deus odio profecturatur & detestetur peccata, quæ non data sed quaesita occasione patrantur, non per accidẽs, sed ex mera malitia & peruerfitate præcogitata: Simon deliquerat, sed nihil minus cogitans & inopinato, nõ enim sciebat Magdalenam in domũ suam venturam, & quãuis arrogans esset, ac superbus, bona tamen intentione ductus Christum inuitauit. At hic studio illum ipso Sabbathi die inuitauerat, idq; ex mera malitia, vt inde occasione eius calumniandi haberet, ideoque hydropicum adesse voluit, quem Christus sanaret, atque hinc illum vt festi profanatore accusaret. Huiusmodi autem hominum non meminit, eorumq; nomina è pugillaribus æternæ suæ memoriæ eradit. Audite vt hoc olim per Prophetam comminatus sit. *Nec memor ero nominum eorum per Labia mea.*

Psal. 15.
Gen. 2.

In huius rei signum crediderim Deum Adamum & Euam statim vt peccatum admi-

serere, acriter corripuisse, serpenti vero, quod mera malitia peccarat, ne verbum dixisset reprehensionem sapiens. Item cum olim aduersus peccata sacrificia propitiã constituitisset, sola illa respexit, quæ ex ignorantia non vero ex malitia facta essent, eorumque expiandorum rationem præscripsit, item quæ ex humana fragilitate commissa: pro peccatis vero, quorum malitia mera parens esset, nullum libamen aut sacrificium institutum legimus.

Hæc vero, quæ ex mera malitia facta sunt, peccata in Spiritum S. sunt, atque in horum expiationem diluuii aquas induxit Dominus. Scriptum siquidem est in Genesi. *Videns autem Dominus, quod multa malitia hominum esset in terra, fratres etiam Iosephi qui ex malitia peccarant fratrem suum innocuũ Ismaelitis vendendo, cum deinde ad delicti cognitionem venissent, factiq; eos pœniteret, dixere parentis sui Iacob nomine, Obsæro vt obliuiscaris scelus fratrum tuorum, & peccati atque malitia, quam exercuerunt in te.* Notandũ autem est non simplici peccati, nomine eos delictum suum appellasse, sed sceleris, quod crimen enormius est & multa grauius.

Gen. 6.

Gen. 50.

Formosa illa Esther, quæ è captiua, regina Persarum facta est, cum Assueri genibus esset aduoluta, quo Iudaicæ nationi veniam impetraret, & decretum mortis, quod in eam latum erat, reuocaret, & nefarias Amani hostis sui iuratisimi machinationes infringere, de illius moliminibus apud regem agens, ait, *Procidit de illis, vt de peccato malitia, ad pedes regis, inquit Scriptura, & locuta ad eum, vt malitiam Aman Agagita, & machinationes eius pessimas, quas excogitauerat contra Iudaos, tuberet irritas fore.*

Esth. 8.

Dauid Propheta de extremi iudicii sententia agens, inter cetera ait, seuerum illum iudicem, in malitiæ peccata imprimis inquisitionem, imo & linguas malignas, & iratum peccatoribus dicturum, *Os tuum abundauit malitia & lingua tua concinnabat dolos. Quo loco Genebrardus noster cõuertit, Os tuum abundauit maledictis, & fontes Hebræi habet Os tuum laxasti ad malum.* Omnium autem ea mens est, grãdius esse & enormius peccatum malitiæ, quam ignorantia & fragilitatis;

Deus peccata ex mera malitia patratã odit.

eis: nam ipsum quod de industria & data opera committitur, duplex peccatum merito dici potest. Quamobrem eo Pharisai huius peccatū grauius est quo maiori malitia Dominum ad conuictum, ad cauillandum, etiam in die festo, inuitat.

Sabbato manducare panem. Magna & solennis apud Iudæos erat sabbathi festiuitas, in honorem creationis mundi, hoc siquidem die Deus ab omnibus requieuit operibus, & à creando cessauit. At quoniam Christiani post hoc beneficium, aliud longe maius recepimus, ipsum scilicet redemptionis; Quia uero Iesus redemptor noster vna sabbathorum resurrexit, id est, die Dominica, ut nos scilicet à lege Iudaica eximeret & auerteret, sabbathi solennitas in Dominicam translata est, idque multas ob causas. Hoc siquidem die conditi sunt Angeli, filii Iſrael Ægypto egressi sunt, (ut quidem Olorius aſſertit,) Deus legem duabus tabulis comprehensam Moſi dedit, hoc etiam die Manna celo plueret cœpit, ex sententia Origenis, hoc denique Seruator noster natus, circumcisus est, & ad vitam resurgendo redit, & spiritum paraclerum in Apostolos misit. Quanto igitur dies hæc cultu, quo digna honore & ueneratione?

Voluit olim Deus in Sabbatho duos in sacrificium offerri agriculos, aliis autem diebus, exceptis solennioribus & Calendis, non nisi unum: *die autem sabbathi offerretis duos agnos annuos immaculatos.* Quo denotatur, preces nostras & orationes diebus dominicis esse duplicandas: die inquam, hac, quæ omnium dierum regina est, deuotioni & pietati diligentius & frequentius incumbendū.

Num. 28. *Dominica die,* ait sanctus Gregorius, à labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum, ut si quid negligentia per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominica precibus expiatur.

D. Greg. 11. *Thren. 1.* Sed heu, quæ sæculi nostri infelicitas est, diebus Dominicis & festis Deus imprimis ad iracundiā prouocatur & offenditur. Hinc lacrymans & deplorans sæculi sui festa Hieremias, in Threnis ait, *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha eius.* Quanto potiori iure iam nostra festa deplorare licet, quanto po-

tiori iure Satan inimicus nos irrideat, cum videt illa ita à nobis profanari & dissolutionibus abominationibusque violari. Bonis igitur & sanctis operibus, mala & impia parantur opera, Sabbatho quoque Pharisæus hic Domini opera coarguere & explorare conatur.

Sabbatho manducare panem. Sabbati cul *Exo. 10. & 20. & 31. cap. & Ierem. cap. 17.* tus & reuerentia Iudæis indicitur in Exodo 31. *Ier. 17. 20. & 31. cap. & Ierem. cap. 17.* quod Iudæi tanta colebant pietate & religione, ut pauperculus quidam, quod ligna in sabbatho collegisset, lapidibus obrutus fuerit, Imo mori malebant, quam sabbatum aliquo seruili opere violare. *Num. 15.* Quin & in libris Machabæorum legitur, Iudæos ab hoste ad pugnam lacertos die sabbathi, adeo se religiosos in sabbatho obseruando demonstrasse, ut in ipso mori maluerint loco, quam se defendendo vitam tueri. *2. Mach. 2.*

Quin & singulari quodam miraculo Deus sabbathi religionem obseruantiamque demonstrasse visus est. Refert quippe Baptista Fulgosius in Iudæa fluuium reperiri, qui tota quidem septimana fluat, sed sabbatho cursum interrumpat, quæ propterea Sabbati nomen inuenierit. Quo miraculo naturali doemur, festa colenda & obseruanda, sed imprimis diem dominicum. Sed audite quid nouum.

Veteres Iudæorum Rabini memoriæ tradidere, dæmones sabbathi obseruantiam & cultum tam iniquè tulisse, ut die sabbato nullus omnino in eurgementorum corporibus inueniretur, sed in deserto iis relictis secederent & montium iuga & speluncas oberrarent. Sed o rerum vicissitudo deploranda! Hodie namque diebus festis, & in primis factis Dominicæ die, infernus è contra referari videtur, & dæmones laxatis habenis per orbem cūstare & grassari. More igitur Pharisæico, & Principis huius instar, festa in Christo offendendo irritandoque impendimus.

Et ipsi obseruabant eum. Vniuersa Saluatoris nostri vita cruenta & amara crux fuit, *Habit enim in factis,* ut Bernardus ait, *obseruatores, in verbis contraditores, & in tormentis illatores.* Unde non immerito sponsa illū facientulo myrrha

Fluuius est qui tota septimana fluat & die sabbati quiescit.

Diabolus horrebat sabbata Iudæorum.

III.

S. Bernard.

Cant. 1.

myrrha comparauit, quod omnis illius vitæ series non nisi fasciculus quidam & coarctatio fuerit dolorum & amaritudinum, quorum myrrha symbolum est, idque ob inimicitias graues & odium immortale, quo in eum inimici ardebant.

Isai. 28.

Huius autem odii causa, nulla erat alia, quam quod Pharisei indignarentur peccata sua redargui, & traduci. At sciebat doctor ille cœlestis verba illa Domini ad Prophetam, de vero populi concionatore intelligi debere, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Et annuncia populo meo scelera eorum,* quod falsi prophetae facere negligebant, ne populi gratia exciderent, eumque sibi infestum redderent de quibus alibi Isaias locutus est dicens, *Speculatores cæci omnes, canes muti, non valentes latrare.* At non erat huiusmodi seruator noster, qui de se ipso quodam in loco ait, *Annuntiaui iustitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.* Id est, quamuis coniurare in vitam meam scirem omnes, nunquam tamen à iustitiæ tuæ præconiis dilaudandis abstinui aut cessauit, & impiorum scelera magna verborum acrimonia coarguere non destitit.

Isai. 56.

Quod hodie ad oculum cernere est, quando in conuiuio illo, Phariseorum mores quamuis sibi necem parari, & insidias captiosas tendi sciat, coarguit.

Audi. 14.

Et ipsi obseruabant eum. O proditionem detestabilem! hinc instruunt conuiuia, illinc insidias, manu vna proferunt mel, altera venenum atque ut leo quem Sampson in terra Philistæorum interfecit, fauces melle scarentes habebat, intestina vero putrescentia: ita nefandi hi Pharisei, noui illi leones, nemæo leone truculentiores, in ore præferunt mel, id est, blanda & benigna verba, quibus Christum ad conuiuium inuitant, corda vero illorum & intestina inuidia & malitia deprauata sunt, quos graphice depingit Psalmista dicens, *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.*

Psal. 17.

Quos & olim sub terminis obscurioribus maledixit Abacuc, *Va, inquit, qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, ut aspiciat nuditatem eius.* Non nuda hic imprecatio est, at vera potius Prophetia, quæq; ex

Abac. 2.

illo etiam tempore Phariseos hocce nostras, maledictos illos à Deo respiciebat, qui hodie Christum ad epulas inuitant, ut cum captiosis interrogacionibus circumueniant, & agendi rationem obseruent, quin & se ei apponunt, inuidiam inquam, malitiam & odium quibus studentibus defectum in eo aliquem notare contendunt.

Semper siquidem impius insidiatur, & omni ratione conatur vitam iustorum sugillare: quod toties expertus, David testatur, *Obseruabit peccator iustum, & stridens super eum dentibus suis, id est, contra eum, & mox considerat peccator iustum, & querit mortificare eum.* Alio item in psalmo loquens vel de se ipso, vel Iesu Christo, vel de singulis in genere iustis: *Tota die verba mea execrabantur, aduersum me omnes cogitationes eorum in malam.* Sed audite inuidi, maius, mihi credite, vobis, quam aliis damnū afferitis. Nam ut is qui digitis candelam emungit, candelam quidem lucidiorē reddit, sed digitos inquinat, & sæpe etiam adurit. Ita & inuidus, qui alios arrodere, eorumque vitæ splendorem extinguere conatur, terra quidem peccati fuliginem administrat, dumque gloria illius officere conatur, eandem auget, honorem ei apud homines & nomen parit.

Ipse adhuc inuidus inuidia sua euidenter ostendit peruersum se esse & scelestum. Nam ut qui videndo crucifixi imaginem in cœno aut simo, eandem non modo quamprimum non educeret, ablueret, mundaret, debito loco reponeret, sed præteruntibus etiam digito monstraret, quin & exploderet, non peruersus modo Christianus, sed hereticus etiam & infidelis haberetur: ita qui proximum, veram Dei imaginem, aliquo aut vero aut saltem appateni peccato inquinatum videt, & non fraternali & magna cum charitate eundem sed diligendi quadam peruersitate in eundem inquirat, illiusque vitæ rationem exhibeat, non Christianus, sed Saracenus aut Mahumetanus dicendus est, & infidelis.

Et ipsi obseruabant eum. O pestem scelestam inuidiam! ô luem detestandam! Omnium Herculeorum laborum primus ac summus paratur ille.

Inuidia hydrae cæparatur.

ille merito est, quo hydram multiplicem, in Lerna commorantem superauit. Equidem ut hoc moraliter exponam, Herculem hominis iusti imaginem esse crediderim & hydram inuidiæ, quæ reuera etiam serpens dicitur, sed quæ letiferos morsus infligit, (*venenum aspidum sub labiis eorum.*) Multiceps autem est, quod tum in bonis, tum in honoribus tum in fama, in vitæ ratione denique in omnibus homini noceat, denique hydra est, quæ nonnisi in paludibus cœnosis & lurulentis agit, inuidia enim nonnisi vitii alienis & rebus sordidis & peccati turpitudinem redolentibus pascitur. Ceterum nihil est quod iustum tantopere torqueat ac diuexet, quam detestandum hoc monstrum.

Inuidia nõ
viti in sce-
lerata viuit
anima.

Monstrum quidem Lernaum, quod iam descripsimus, multum generoso Herculi negotii facessuit, sed obseruandum est, nonnisi in locis palustribus, viginosis, ac tetro cœno ipsum natum esse. Fontes & fluuios limpidos abhorrebat, & sordidas & putrescentes paludes consecretabatur. Idem de inuidiæ monstrum esto iudicium, ac dicendum, numquam illam in generoso animo & ad virtutem nato, sed in peruerso & plebeio, vitiiisque inquinato habitaculum sibi deligere.

Tinea, pestis illa lignorum & vestium nunciam cedros, odoratas illas & incorruptibiles arbores subit, ita inuidiæ tinea, vermis ille pestilens, omnia exedit, corrodit, & perdit, & nunquam in anima cordata & proba, quæ cedrus designat, reperietur. Quo respiciens Iob aiebat, *Paruum occidit inuidia*: quod vitium hoc nonnisi in plebeio & imbelli nascatur pectore, quale reuera erat Phariseorum, qui curiosa quadam religione & superstitione curiositate Saluatoris Christi vitam & actiones obseruabant.

IV.
Qui alium
vult coar-
guere, vi-
tio careat.

Sed ò detestanda inuidia, ò pestilens detractio! mirum profecto est, & tamen verissimum, quodque indies videre est, eos qui maxime inquinati sunt, vitamque cõtaminatissimam ducunt, præ cæteris & ante alios aliorum defectus reprehendere: cum tamen omni carere deberent peccati nãno, qui in aliorum vitia vitamque inquirere & animaduertere conantur, nam ut Sallustius ait, *care-
re debet omni vitio qui in alterum paratus est*

Tom 2. Pars Æstius.

dicere. Quod & egregie in veteri testamento præsignatum est, quando nimirum voluit Deus ut lucernæ & emunctoria templi essent aurea, quo designare volebat, eos qui vitam aliorum emungere & coarguere volunt, animam virtutum & iustitiæ fulgore inauratam habere debere, & imprimis caritatis, quæ illo inter virtutes, quo aurum inter metalla, est loco.

Vnde non inseite mihi veteres Ecclesiæ Patres inuidos & maledicos raris Apocalypseos comparasse visi sunt, quæ de ore draconis egrediebantur. *Et vidi de ore draconis, & de ore bestia & de ore Pseudopropheta, exire spiritus tres immundos in modum ranarum.* Et sane nullum inuidorum hieroglyphicum melius aut aptius quam rana, tum quod hæc oculos sanguine suffusos habeat, aut potius sanguinem oculorum loco, cumque negutam quidem sanguinis in toto corpore habeat, oculos sanguine habet natates, eosque ita capite prominentes, ut non in capite, sed extra ipsum videantur constituti: tum vero quod amphibia sit, tum in terra tum in aqua vitans, per prata saltet, & per aquas natet. Atque hoc nonnullis per annulum Mæcenatis Equitis designatum volunt, cui rana insculpta erat, hanc siquidem expresserat, ut potestatem suam & auctoritatem, quod Cæsar tum maris tum terræ imperium sibi concedidisset, declararet.

Non crediderim autem, similitudinem conuenientiorem aptioremque ad inuidos & murmuratores designandos repetiri: oculos enim sanguine & vindicta plenos habent, nihilque spirant quam interitum & perniciem alterius, eosque ita sagaces, perspicaces & vigilantes in proximi vitiiis coarguendis, & eos quasi è capite prominentes habere videantur: tum signa repererit, nullus in orbe locus aut mare, in quo eadem non diuulgent. Quamuis autem ob prædictas rationes inuidi raris dicantur similes, illa tamen potissima est, quod ranæ semper in palustribus & venenosis locis versentur, & nonnisi nocte ingruente & in tenebris contenta, ita quoque inuidi non delectantur nisi peccatis alienis eorumque vitam allatrant, nonnisi de nocte, id est, interea dum absunt seseque de-

Na fendere

fendere nequeunt quodque impræcis & præcæteris deplorandum est qui omnium inquinatissimi sunt, & peccatorum numero cæteris antecellunt, hi sunt & cæteris mordaciores & plus aliis obgannunt: atque ita ostendunt, a faucibus se draconis, id est, diaboli profectos esse.

Sponsa illa in Canticis dilecti sui dotes & perfectiones recensens ait, *Laba tua sicut lilia stillantia myrrham primam*, id est, dulcem præ cæteris. Myrrha, inquit, quæ amara est, prohibet corpora à putredine & corruptione. tua sunt verba quamuis enim rûdia & acerba fiat vitam tamen mihi conferunt, & à morte & peccati corruptione me conseruat ac tuentur: at quod in me maius eorum desiderium excitet, est, quod ab ore cædidissimo cuiusq; innocentia & candor liliorum & niuium albedinem superat, proficiscantur: deniq; paucis vt concludam innuere vult, dilectum suum inuidia liuore non contabescere, nec aliis detrahere, nec peccata proximi coarguere. Quod si interdum in eadem animaduertat tum verbis, tum re ipsa, charitate stimulante id facit, adeo vt nulla hinc culpa possit oriri: deinde vix fieri posse videtur & iniquissimum esse, vitium coopertum, aliorum vitia & delicta velle reprehendere.

Atque hinc taxat & fugillat scommate quodam satyrico Martialis quendam, qui cum vita esset contaminatissima & flagitiis variis infamis, omnes tamen promiscue profcinderet & carperet.

Cur maculas alios maculosos omnibus Albi,

Et carpi dignus carpere non metuis?

Tacitus ille & pungens sarcasmus tacite etiam docet, absurdum & inconueniens esse, virum honestum ac probum ab improbo & scelesto fugillari, nam, vt Augustinus quidẽ ait, *accusare vitia officium est bonorum*, & etiam Isidorus, *Non debet aliorum vitia corrigere bon.*

Li. de serm. dom. in monte.
Lib. de sum. re, qui est vitis subiectus.

Huc facit quod Bofius lib. de signis Ecclesiæ tradit, indignum fuisse Apostolorum principem Petrum carenis in carcere cõstrictum teneri, sed æquum & par, vt manus illæ vinculis eximerentur, quarum erat alios soluere, & à peccatorum nexibus suo tempore liberare. Indecẽs scilicet erat & rationi aduer-

sum ligatum cernere, compedibusq; manus grauatatas habere, qui aliorum vincula dissuagere & dissoluere debebat. Promiserat illi siquidem Dominus, *Quicumque solueris super terram, erunt soluta & in caelis*. Ita quoq; qui linguam habet ad aliorum delicta coarguenda, nihil in se continere debet quod aliorum reprehensionem mereatur.

Sed quid? ea sæculi nostri calamitas est, vt aliorum delicta optime, quo reprehedamus, videamus, nostra vero nequaquã. Similes se. Oze sumus, qui nimirum cadentes rideamus 2. Reg. 6. alios, sed nostrum casum & ruinam nõ intuemur. Videbat quidẽ ille arcam in tetram delabentem, sed non videbat, rem se indecentẽ committere, vt qui vxorio concubitu pollutus arcam Dei contingere non vereretur.

Tres reges potentissimi, rex scilicet Iuda, Israel, & Edom cum aduersus regem Moab 4. Reg. 7. exercitum collegissent, eiusq; regnum premerent, ad tantas eum redegerunt angustias, vt primogenitum suum, regniq; heredem in hostium conspectu super murum in holocaustum obtulerit. Non parum torquet locus hie sacrorum bibliorum interpretes. Dicunt nõnulli regem hunc filium Deo Israel in victimam obtulisse, vt eum sibi propitium redderet, & hac potissimum ratione inductum videbat se à populo, quẽ hactenus semper expugnauerat ac superauerat, iam victum in vltimas redactum angustias, quam obrem regni sui anolos, augures & sapientes consulit, qui dixere Israeliticum populum auum habuisse Abrahamum, qui quod vnice Deo filium in victimam obtulisset semper illi gratus exstitit, ac proinde omnis illi posteritas singulari semper ratione à Deo cœli protecta & propugnata fuit. Hebræos autem hoc viso tum indignatos tum ad misericordiam commotos, ab obsidio destitisse.

Caeterani autem opinio, quam in commentariis refert, multo est probabilior, dicẽtis regem hunc filium idolis immolasse, vt eorum sibi fauorem & opem conciliaret, atq; ideo magnam in Israel indignationem factã, id est, plagam & vehementem pestilentiam, quam Deus Israelitarum exercitui immisit quæ mox ita inualuit, totq; homines neci dedit, vt obsidionem soluerent.

Equidem

Equidem diuinam hic vltionem insinuari crediderim, Deumq; ad iracundiam cōcitarum describi. Tunc quippe Deum in mentem reuocasse idololatriam Israelitarū, qui olim Moabitum idolis victimas libassent, imo & filios & filias dæmonibus immolassent, (quod testatur Psalmista, *Sacrificauerūt filios suos & filias suas dæmonis.*) ideoq; indignatum fuisse, quod ipsi idololatriæ supplicium de aliis sumere præsumissent; simulq; demonstrasse nihil esse quod magis sibi displiceat, magis ad iracundiam prouocet, quam dum peccatores peccata aliorū coarguunt, inq; eorum vitam inquirunt. Quomodo igitur illi Deum offendant, qui cum peccatis pleni sint & immunditia, innocentiū vitam reprehendere, & iustorum vitam corripere contendunt. Hoc se faciunt Pharisei, qui cum impietate scateant & peccatis abundēt, iusti & innocui Christi actiones & agēdi rationē obseruant & suggillant, eumq; die Sabbathi ad contuiuium inuitantes, hydropicum illi offerunt, vt cum ab hydropem miserum liberasset, quod ab illius se benignitate facile consecuturos sperabant, eum quamprimum vt legis transgressorē & festi profanatore m carperent & accusarent. Hoc in secundum orationis membrum referunt, quo iam deducam latius. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.*

V. Miraculum hoc describens S. Lucas, ait Dominum à principe Pharisæorum inuitatum, insigni quodā miraculo Hydropicum hunc sanitati restituisse. Beata domus illa & felix quam Christus vt conuiua subit & hospes, non enim egredietur, quin symbolum suum persoluerit, & magna in hospitem cōtulerit beneficia. Vix intrauerat triclinium nuptiale in Cana, quin aquæ hydrias in vindiola conuertat. Domum Zachari illo subeunte, mox salus domui facta est. Matthæi ædes vt intrauit, è publicano & sceneratore, Apostolum eum & Euangelistam cōstituit. In Bethaniæ castello cum versaretur, Lazarum ad vitam reuocauit, hodie vero in Pharisæi ædes admissus, hydropicum sanat. *Et ecce homo, & c.*

Arca fœderis cum in ædibus Obededom Gethæi ad trimesstre cōmoraretur, benedi-

tionibus cœlestibus domus & vniuersa familia cumulata est. Diuinitatem denotabat arca & hæc prosperitas euidens augurium & argumentum certissimum est, omnia, vbi Deus commoratur, cœlitus benedici & indices melius & melius succedere.

Vix intrarunt viduarum casas Elias & Eliseus quin mox lecythi olei redundant, farina crescat, filii ad vitam redeant, & pulcherrima vtrobique; eant miracula. Hinc igitur infero & ostendere volo, aduentū Iesu Christi in domum aliquam, magnā illi semper felicitatem adferre: si enim Propheta hoc cœlitus potuerint, an non maiora omnium Prophetarum rex, & Dei filius vnigenitus commoda domui, quam subibit, præstabit?

Ait in libro de cœlo Aristoteles, *Accessus & Lib. de recessus solis est causa generationis & corruptionis in his inferioribus.* Hoc quidem Philosophicum, sed Theologicum erit, si dicamus, Iesu Christi, qui toties in sacris litteris solis nomine appellatur, accessum & recessum ab anima, per accidēs, nobis beatitudinem aut exitum adferre. Illius namq; aduentu semper miracula adfert & causatur. An non hic Pharisæi domum ingressus hydropem pellit, & vnde aduersarii calumniam emungere conabantur, hinc ipse efficit, omnes se vt Prophetam suspiciant. Mosis igitur vitga serpentes deuorauit. *Exod. 7.*

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Quotnam Deus bone, hydropici huius ingressus in domum Pharisæi conceptus mihi in animo proeedit?

Primo namq; in limine fidem illius admittenti fati nequeo, qui principis huius ædes ingreditur nō vocatus, imo ne metuens quidem, ne forte importunitatis, impudenter se in alienas ædes ingerendo accuseret. Sed sanitatis recuperandæ desiderium omnimundano respectui præponit, pluriq; valitudinem, quam ignominiam facit. Ad eundē modum Magdalena, omnem exuta pudorem, nullamq; ignominiam verita, imo omni hominum respectu conculcato, domū Simonis Leprosi ingressa est. Vbicumq; igitur Christus ut, ibi & querendus, licet in domo Pharisæi, licet in turba, nullū pudor hic locū habet, nullū diffidentia, sed importune

Psal. 35. eius auxilium implorandum. Audite qd hac de re dicit *Psal. 138.* *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestrae non confundentur.*

Pharisæorum malitia. Secundo in signem hic Pharisæorum notare malitiam oportet, qui laudabilem conuiuiorum usum tam nequiter peruertunt, nā tantum abest, vt Christum amice & hilariter excipiant, & cum illo lætentur & plaudant, vt etiam insidias illi struant, actiones eius & vitam explorent: in quo Dauidicum illud complese visi sunt, *Principes conuenerunt in unum, aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* Simile quid propemodum olim in libris Machabæorum legimus contigisse, quando Ptolomæus, Pontificem Simonem eiusque filios duos ad epulum inuitatos, iugulari & perfide obtruncari iussit.

Psal. 62.
1. Mach. 16.

Cruenta Pharisæorum proditionio. Tertio, alia quædam Pharisæorum nequitia hic apparet, quod Christum ad conuiuium vocarint vt non, aliquod charitatis officium ostenderent, sed vt, si quod forte (vt putabant) inter epulas verbum effuriret inu considerate, aut aliquid indecorum ageret, in hoc illum traducerent, carperent, actionemq; intentarent. Quo nomine maxime reprehendendi, quod in corde hostili amicitiam fingant, & simulent amorem odio pleni, in quod apte torqueri poterit illud Ierem. 6. *A Propheta usq; ad sacerdotem omnes faciunt dolum,* & illud Eccl. 2. *Va duplici corde duplex siquidem cor habent, vno amorem fingunt, altero dolum neccunt, vno amicos mentiuntur, altero proditores se ostendunt, vno obsequium spondent, & pollicentur, altero eum irretire conantur.*

Diebus festis opera misericordiae exercenda. Quarto hinc etiam elicio, omni tempore ac quolibet etiam die proximo esse succurrendum, operaque misericordiae exercenda. Neq; n. vnquam melius, maioriq; cum merito festi dies impenduntur, quam quando pauperibus succurritur, & charitatis opera exerceantur, ita quippe Tobiam seniore fecisse declarant sacra littera. *Cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium in domo Tobia, dixit filio suo, vade & adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, & epulentur nobiscum.* In quo tria notanda occurrunt, primum, quod festis diebus epulum instituerit, quod solos contribules inuitarit, & quod

Tob. 2.

denique iustos solos adhiberet. At nihil minus hodie mundus facit: nam hodie singulis diebus conuiuia parantur, nulli nisi externi & alieni inuitantur, nulli denique mensæ accumbunt, quam meretriculæ, lenones, pararii, mimi, sanniones, scelesti & improbi, atq; omnis mali colluies: Epulæ scilicet Balsaria, quibus plurimæ intersunt concubinae, & non nisi sacra profanantur.

Quinto docemur hoc loco, Deum velle, se, vt sequamur, nec vllis hominū calumniis improborumque cauilis à virtutis tramite nos abduci debere, quod se fecisse Paulus testatur Galatis scribens, *Si adhuc hominibus placerem, seruus Dei nō essem.* Et suo etiam exemplo id Christus confirmat, qui cum ab omni loco sibi insidias positas cerneret, hydropticum tamen curare non grauat.

Deniq; omnes hinc velut electione quadam scholastica discimus præcepta legis obseruanda esse, prout charitas dicitur, & necessitas exigit. Vnde Moses in deserto Israelitas non circumcidit, David panes propositionis, quamuis sacerdos non esset, comedit, & Christus Sabbatho agros curauit. Hinc etiam locum habent casus illi scholastici, puerum in extrema casu necessitatis à muliere, imo & à Mahometano baptizari posse: in quadragesima, si necessitas exigit, carnis licite quemlibet vesci posse, diebus festis agrorum & vulneratorum rationem haberi, arma quoq; indui, & bellum licite sumi, vt respub. ab hostibus defendatur. Non enim habet legem necessitas, neque vllis regulis circūscribitur. Sabbathi dies Hebræis quidem solennis erat, at ecce Dei filius illo die hydropticum sanare non veretur.

Et ecce homo quidam hydropticus erat ante illum. Cum turgidum & aquosum hūc hydropticū intueor, veram mundani & voluptatis feruī imaginem videre videor, nam vt hic è nimio & assiduo potu hydropem contraxerat, ita mūdani, quod vitæ huius voluptatibus plus a quo indulgeant hydroptici fiunt, & ad quaslibet functiones vitales profus inepti & absurdi. Hac scilicet lue suos inficit mundus, hunc morbum afferunt voluptates, quæ tum per aquam, tum per vinum in sacris litteris denotantur. Hinc dulce semper vinum volupta-

VI

Mundani

hydroptici

co hoc de

figantur.

lib.

to

lib.

voluptatis offert mundanis, vt eodem inebriati, & quodammodo inflati, instar hydro-
pici, nulla rerum cœlestium siti laborent.
Quamobrem sapienter nos admonet Salo-
mon, *Ne inuēariū vinum cum splenduerit in
vitro color eius, subito enim mordebit vt colu-
ber, & vt regulus venena diffundet.* Loquitur
hic haud dubie de vino voluptatū, quo suos
mundus inebriat & hydroxicos reddit: quod
quamuis primo intuitu dulce videatur & iu-
cundum, bibitum tamen, venenum adfert,
& mordebit vt viperā, atq; huc trahere licet,
hanc Moysi sententiam, *fi draconum vinum,
& venenum a spūdm insanabile.*

Adaptare hic licet Stratagemā illud Hani-
nibalis, hic cum Afris quibusdam vino dedi-
tis bellum gerens, magnam vini copiam in
castra sua aduehi iussit, cui mandragoræ suc-
cum admiscuit, quæ, teste Arist. profundū so-
porem inducit, & Haymo in Cantica tradit,
Mandragoras quoddam pomorū genus esse,
quorū succus bibendi somnum conciliat, at
succus è cortice expressus ita inebriat, vt
quicumq; biberit nihil omnino sentiat, quam
uis etiam mortale vulnus recipiat. Hani-
nibale igitur fugam simulante, in castra il-
lius irrumpunt Afrī, qui visis dolis quamprimum,
alia relicta præda sese ingurgitant,
quos ille somno & vino sepultos de nocte op-
pressit, atq; ita victoriam de illis consequu-
tus est. Idem omnino facit & Satan, versipellis
illa vulpes, iuratus hominum inimicus, offert
siquidem iucundum voluptatis vinum, vt postquam
eodem inebriati fuerimus & inflati, tandem ab
eodem incauti & nec opinantes iugulemur. Sed ad
hydroxicum meum redeo.

Et ecce quidam hydroxicus erat ante illum.
Omnes omnino morbi & corporis tormenta
peccati effectus sunt, & ab eodem originē
sumūt. Atq; ideo hydroxicus hic perpetua
laborans siti in scenam producit, vt hinc in-
extinguibilis peccatorū sitis, desideriumq;
reddatur manifestum, de quo Iob loquitur
dicens, *Tenebitur planta illius laqueo, & exar-
desceat contra illum sitis.* Et sane peccatores hy-
dropici sunt, extrema enim laborantes siti,
nihil bibunt, quā quod sitim magis magisq;
prouocat. Vnde apud Ieremiā Deus ipse eō-

queritur, *Me dereliquerunt fontem aquæ vi-
ua, & fecerunt sibi cisternas dissipatas, quæ con-
tinere non valent aquas, & ideo siti vexantur.*

Lyfimachus Thracia rex prælio decertās
tanta laborabat siti, vt hostibus se tradiderit,
quo haustum frigidæ acciperet, regnumq;
amittere, quam aqua carere maluit. Sæpius
hanc mecum historiam tacitus demiratus
sum, nec mihi præter rem visum est, regi huic
peccatorem similem dicere: tanta siquidem
interdum siti excruciat, adeoq; erga mun-
dana afficitur, vt libertatem, animam, re-
gnam deniq; cœleste diuendere & amittere
non dubitet, quo vel exiguum quid aquæ il-
lius vanitatum bibere possit.

Ismael Abraham filius ex Agar ancilla, in de-
sertum eiectus siti emoriebatur, *Cumq; con-
sumpta esset aqua in vitre, abiicit puerū, ne vide-
ret eum præ siti, ipse enim verus Ismael est, qui
quamprimum vt in horridū mundi huius de-
sertū eiectus est siti emoritur, & intolerabili
quodam in res terrenas ardore & æstu inter-
ius aduritur, quodq; de hydroxicis dicitur,
de peccatore non immerito dici potest:*

Quo plus sunt pota plus sitiuntur aqua.

Tanta in Samaria ariditas fuit, vt cum trien-
nio & amplius pluuia cœlo non cecidisset, om-
nia circūqua; emorerentur, herbe, germi-
na, animalia simul & homines. Equidem, vt
hoc allegorice exponā, mundum imaginem
dico Samariæ, in quæ rarissime cœlestes de-
cidūt imbres, ac proinde tanta illius ariditas
est, & sitis adeo vehemens, pleriq; vt emorian-
tur. Quin & ipse Dei filius pro peccatoribus
mortem occumbēs, siti propemodum mor-
tuus est, quare in crucem sublat, siti fauces
adurente, voce magna clamauit. *Sitis.*

Montes Gelboe, in quibus flos nobilitatis
Israëliticæ occubuerat, à Dauide maledicti
sunt vt præ siti & ariditate emorerentur, nul-
lumq; rorem nec pluuia cœlitus acciperent,
*Mōtes Gelboe, nec ros nec pluuia veniāt super vos
neq; sint agri primitiarū.* Vera mundi figura,
ipse namq; mons ille nefastus, in quo omnis
generis humani nobilitas extincta est & de-
lecta, Patriarchæ, prophetæ, Reges, Apostoli,
ipse deniq; Dei filius, quare, diris deuocetur,
mille maledictionibus feriat, & imprimis
ne pluuia aut ros, i. gratiæ & benedictio-

Dion. 17.

Dion. 32.
Dion. in Iulius
lib. 9. c. 9.Lib. de so-
mon.Peccator
hydroxi-
co similis.

Iob. 10.

Peccator
Lyfima-
cho regi
similis.

Gen. 21.

2. Reg. 17.

nes cœlestes in eundē descendant. Mundus igitur semper sitit, & verus hydropicus est.

Et ecce homo quidam hydropicus. Ceterum quod hydrops in corpore, id peccatum agit in anima, potro morbus hic tria potissimum peccata designat, velut hydropis spirituales, imprimis humores vitiosi libidinem significant, tumor ille & inflatio superbiam, ambitionem, iactantiam, sitis illa inextinguibilis, avaritiam. Quam periculosa & noxia hydropis. Hinc bene mihi dixisse visus est, qui tribus ad inferos ostiis dixisse visus est, & triplici aulam Diis ianua patere: & per primam ingredi carnales & lubricos, per secundam auaros, & per tertiam superbos, atq; huc alluisse Prophetam Isaiam, *Propterea dilatauit infernus animam suam, & os suum abque ullo termino, & descendens fortes eius, & sublimes, gloriosiq; eius ad eum.*

Isai. 5.

Libido
hydrops
est.

Ioan. 4.

Item aqua hydropis est luxuria & voluptas carnis: quo enim plus ē voluptatū carnaliū puteo bibūt libidinosi, quo & maiori siti laborant, quam obrē locū hic habeat sententia illa Christi, *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterū.* Samaritanæ huius voluptas insatiabilis erat, atq; ideo, exprobrat illi Christus, *Quinque viros habuisti, & quem nunc habes, non est tuus vir, id est, siti laboras inextinguibili, & hydropica es.* An nō & hydropica vxor Claudii Imp. Messalina, de qua Iuuenalis ait?

Prou. 3.

Qua lassata viri nodum satiata recessit. Tria reperiri in mundo ait Salomon, quæ satiari nequeant, *Tria sunt, inquit, insaturabilia, & quantum nunquam dicit: sufficit, infernus & os vulua, & terra quæ non satiatur aqua, ignis vero nūquā dicit sufficit.* Ignis superbiam designat, terra avaritiā, & os vuluæ luxuriā, & tria hæc peccata: hydropis sunt, nullo infuso liquore satianda, sed imprimis voluptas carnalis.

Tria sunt
insatura-
bilia.

Ecccl. 14.

Prou. 13.

Val. Max.
li. 3. c. 14.

Superbia & ambitio etiam insanabilis est, vnde ait Sapiens. *Insatiabilis oculus cupidi, & in Prouerbiis dicit, Venter impiorum, id est, ambitiosorum, insatiabilis, & paucis vt absolua, hydropici sunt.* An non inexplabilis Alexandri Magni ambitio fuit & hydrops insatiabilis, cum, audito Anaxagoræ axioma, plures esse mundos, steteret & ingemisceret, quasi vnicus ad sitim eius explendam, non sufficeret, vnde Poeta,

Vnus Pellao iuueni non sufficit orbis.

Avaritia aliud hydropis genus est, & fortitan aliis grauius & damnosius: quam reuera Stobæo referente, Diogenes iam olim hydropi similē esse dixit: nam vt hydrops paulatim sensimq; crescit, ita cupiditas & sitis opum, illæ namque paulatim, magnoq; sudore parantur, & quamprimum etiam amittuntur. Quod veteres etiam declarant, cum Deum diuitiarum Plurum claudum & tortuosū deformem pedibus depinxerit, sed alatum: quod diuitiū sensim & pedetentim, magna diligentia & industria parentur, & vnico momento pereant, atque auis instar auolent quam celerrime.

Avaritia
hydrops
est.

Plurī Dei
emblemata.

Cathar. lib.
de mag.
dior.

Certum igitur ac fixum est, peccatorem, hydropicū esse, & peccata hydropis quādam spiritualement, sed insanabilem, nisi auxiliatricem Deus adhibeat manum: mundus namque morbum causatur, & cælum medetur. Mundus aquas propinat, quæ ventrem inflant, & sitim prouocant, sed cælum habet alias, quæ sitim tollunt & morbū. Varia medicamenta in sacris litteris reperire est, quæ circa hæc aquas versantur, *si quis sitit, veniat ad me, & bibat. & flumina de ventre eius fluent aqua viua. itē alio loco, Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternū, sed fiet in eo fons aqua viua.* Et Isaias, *Omnes sitientes venite ad aquas item alibi, Effundam aquam super sitientem, & fluenta super aridam.* deniq; *Apoc. 22. & in Apocalypsi, Ego sitiēti dabo de fonte aqua viua gratis.* ad hæc aquas properate hydropici, hic bibite, hic sitim vestram extinguite, sunt enim optima & saluberrima.

Vos autē Christiani, Christi vestri exēplo discite modeste & benigne cū impiis agere, vt ad virtutē eos inuitare, & ad pœnitentiam reducere valeatis, discite inuidiā fugere, & de tractiones execrari, aliorū vitia nolite curiosius inquirere, sed notate vt Deus oēs actiones nostras intrueatur, cū Pharisæorū arcana cordis rimatus, eorū dolos & versutias prauerterit. Discite, quāta festis debeat reuerentia, cum Pharisæi ne agrū quidem in die festo sanari velint, deinde memineritis omnī tēpore bona esse opera faciendā, & imprimis opera misericordiæ, cum ipso sabbathi die Christus hydropicum curare non dubitarit.

Hoc

Hoc autem, tu Domine, miraculorum maximum hodie edis, ut Pharisæorum auaritiā coarguas, & hydropem aqueum sanando sanes, eadem opera hydropem autem & paruos affectus. Renoua hæc miracula summe medice, hosce morbos medicare, neque enim vnquam alias ita opus fuit, nam mundus hydropicis scater & hydropem omata plena sunt, vbique regnat superbia, dominatur per omnia ambitio, gula grassatur, auaritia laxatis habentis per orbē cursitat, denique hydropici sunt omnes. Hic tuget cibis & ingluuie, ille siti acquirendarum opum & dignitatis sublimioris laborat, alius denique vitiōsis & infestis abundat humoribus & anhelitum fatentem habet, solam vt terram spiritet & vanitates sæculi. Hic manum admove Domine, hanc sitim exstingue, ardorem huic compesce, tumorem huic deprime, fœtorem illum intolerabilem exstingue, denique hydropicis hæc cura, & humilitatis virtutem cōcede, vt quemadmodum hodie ipse doces, eum qui se deprimit exaltandum, nos ipsos hoc in mundo profunda quadam humilitate deprimentes, aliquando in altero ad beatitudinem vsque cœlestem exaltari mereamur, quam concedere dignetur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

DOMINICA XVII. POST
PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. De charitatis præcellentia.
- II. De amore Dei cordiali.
- III. De modis & causis Deum amandi.
- IV. De dilectione proximi.
- V. De modo & causis amandi proximum.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota mente tua, Matth. 12.

FIGURA.

Leuit. 6. Euitis olim præcepit Deus, vt in altari holocausti ignis perpetuo colluceret, neque vnquam deficeret fomes. Verus hæc

figura denotabat, inter cetera legis Euangelicæ præcepta, hoc imprimis eminere, quo Deus sacrum charitatis ignē iugiter in cordis ara in medio Ecclesiæ collucere & flagrare voluit, vt inquam Deum ex toto corde & proximum sicut nos ipsos diligeremus. Hæc scilicet Euangelii hodierni medulla est, quam vobis proponam, cœlitus modo affulgeat auxilium, & Virgo Deipara opem polliceatur, quod vt fiat, nostras illi preces salutationemque Angelicam offeremus.

AVE MARIA.

Magnus Apostolus Paulus, qui è lupo rabidissimo & Ecclesiæ expugnatore persecutoreque acerrimo, in agnum & feruentissimum Christiani nominis propugnatorem singulari Dei prouidentia conuersus fuit, de caritate sermonem instituens, eam omnium gratiarum geminam & Theologicarum virtutum reginam appellare non dubitauit, *Maiores autem horum est charitas.* Id est, quod *1. Cor. 13.* aurum inter metalla, sol inter astra, adamas inter gemmas, in corpore humano, caput, hoc inter virtutes & spirituales diuitias caritas. Nam sicut in corpore humano caput cetera dirigit membra, vitam iis, motum, sensum dat, quod nerui rigidi sint, venæ turgescunt, arteriæ pulsant, sanguis per omnia diffluat, oculi exubent, & totum corpus vigeat ac moueatur, solo tribui capiti debet: ipsum etiam corpus capite orbatur, non nisi truncus est, stipes massa rudis statua insensibilis, & exanimis, & mortua. Ita caritas in statu ac regimine spiritali digerit ac dirigit omnia, animas animat, sensibiles eas reddit, mouet, robur iis ac vitam concedit, & sine hac ceteræ virtutes iacent, vitæque & meritis destitutæ sunt.

Hinc bene dixerunt Theologi, caritatem finem & ceterum esse virtutum omnium, quod satis innuit, obscure licet. Psalmographus dicens, *Omnis consuetudo inuentionis vult finem, latè mandatum tuum nimis.* Latum mandatum appellauit, quod omnia ad vltimum illum finem tendant, cui caritas quam proxima est & ceteris omnibus vicinior: fides enim hunc ostendit, spes eò dirigit, & caritas eidem

nos